

astrologia miscens, sapientissimè & sublimissimè de Deo, ciùsque natura, & emissionibus philosophari censebatur. Nam obscurissimè, & quibusdam verborum tanquam mysteriorum inuolucris utēs, loquebatur de Deo, vt stuperēt audiētes homines potius, quam intelligerent. Hebrææ quoque linguae fuit peritus, itaque vocabulis Hebræis & Græcis hominibus exoticis deliria sua tegebatur, ex quo etiam illud facile intelligi potest eum cum Pythagorica Platonicâque Philosophia, Rabbinorum Hebræorum commenta, ad Christianæ doctrinæ veritatem simplicitatēmque obruendam confusisse. Id quod postea imitatus est Mahumetes. Quanquam, vt Tertullianus scribit, ex Græcorum alphabeto dogmatum suorum fundamenta & mysteria sumpsit, quò se suāmque sectam, etiam ethnicis Philosophis & hominibus probaret. Referunt autem huius hæreseos initia in annum Antonini Pii imperatoris nonum, qui fuit annus à Christo passio c x v. vt iam recte collocari appareat post Secundianos. Huius Marci discipuli *Μαρκωστοι* ab Epiphanio: à Latinis autem Marcitæ dicti sunt. Hi verò se Perfectos vocabant, longéque Paulo ipso & Petro Domini nostri Iesu Christi Apostolis, præstantiores esse iactant. Ut autem latissimè vagata est, plurimumque nocuit hæresis: ita diutissimè, sed interpolato nomine, fuit retenta & sustentata. Pullulavit enim maximè, vt scribit Theodoretus, & Colarbasios, Ascodrutas, Archonticos, Ophitas & alios hæreticos, tanquam vipera nocentissima foetus crudelissimos profudit: qui omnes in Dei Ecclesiam pessimè, tanquam in matrem, suis erroribus sunt grassati.

2 Re-